

doceret, forum tamen nusquam attingit, sed, ipso fa- A
tente, ad argutam malitiam juvenes erudiebat; quod
et Quintilianus multo ante Lactantium fecit, sicut tes-
tantor ejus Declamationes. Ut autem tempus tereret,
otiumque dulce honestaret, se propter discipulorum
penuriam ad scribendum contulit, etiam suscepta
religione christiana. Hinc emanarunt opera quædam
ab eo vulgata, de quibus supra diximus Præfationis
nostræ p. xiv (col. hujus ed. 71). Post adeptam veritatem
Nicomediæ commoratus est Lactantius ad annum usque
317; ibi ergo fuit toto decennio, quo sævit odiosa
principum crudelitas. Quid hac furente fecerit, qua
ratione ipse christianus in tam horrida tempestate
catenas aut vincula effugerit, ignotum omnino est.
Ille fortasse a principibus ac præsidibus non chris-
tianus, sed philosophus potius habebatur. Sic enim B
de christianis ait ipse (*de Opificio Dei*, c. 1, initio):
« Quo philosophi nostræ sectæ, quam tuemur, ins-
tructiores doctioresque in posterum fiant. » His in-
terim elegantissimum librum scripsit de Opificio Dei,
stylo tamen mere philosophico, aliosque nonnullos;
atque consilium tunc iniiit contra philosophos omnes
disputandi, ut vanas eorum refelleret opiniones, ve-
ritatemque exponeret ac propugnaret: non autem
istud eo tempore ad prosperum adduxerat exitum.
Anno vero 317 desinente, in Galliam, Nicomedia re-
lecta, accersitus est, ut Crispi, magnæ spei principis,
filii Constantini natu maximi, juvenilem ætatem no-
bilioribus artibus ac scientiis informaret. Tunc enim
solum vigesimum ætatis annum attigerat Crispus,
cum a patre Cæsar factus est, anno 317, kalendis C
martiis, ut testantur Idaciani Fasti.

Hujus tam præclari, nobiliorisque muneris nus-
quam in scriptis suis meminit Lactantius; tantæ mo-
destiæ fuit vir ille eruditissimus! Crispus autem,
quamvis juvenis, moderatam tamen studio litterarum
navabat operam, ac eodem tempore ita in gerenda

republica erat occupatus, ut exercitiis præset,
consul eligeretur annis 318, 321 et 324, Francorum
victor anno 320, atque Licinii anno 325, fuerit. Hinc
videas illud officium Lactantii litterarium, egregium
quidem, at nec servile, nec domesticum, nec tandem ita
perpetuum fuisse, ut a scribendo deterreretur. Tunc
ergo molitus est Divinarum Institutionum opus, quod
prius non modo fuerat meditatus, sed ad quod etiam
extruendum eruditas animadversiones, prout tem-
pora dabant, privatis chartis haud dubie consigna-
verat.

Alia etiam edidit, de quibus jam egimus in Præfa-
tione. Verum ab eo tempore quo Crispum adiit, nil
de Lactantio nec sui, nec sequentium temporum no-
tant historici. Id solum observat Eusebius virum
hunc, quem eloquentissimum, quem doctissimum
appellat, adeo ab aulicis abhorruisse deliciis, vitam-
que tanta in egestate degisse, ut sæpe etiam neces-
sariis indigeret, quod est ejus in christiana religione
inconcussæ constantiæ argumentum. Talis sane erat
Lactantii penuria antequam Crispo Cæsari foret ad-
dictus. Nec mirum igitur si tanto animo, si tanta cura
laudes effundat in paupertatem evangelicam. Dubi-
tæne quispiam, quin Cæsaris præceptor, quem tanti
faciebat Constantinus Magnus, princeps beneficus ac
liberalis in omnes, sanctissime vixerit, qui opes, qui
dignitates, qui honores aliaque bona calcavit morta-
lia: qui denique Crispum discipulum sic instituit, ut
hunc Eusebius Cæsariensis principem optimum et
Deo charum appellaverit.

Quo anno, vel qua in urbe obierit Lactantius,
omnino incertum est: facile tamen assentior viris
doctissimis Christopho Browero et Ægidio Bucherio,
qui tradunt, eum Treviris non solum extremam egi-
senectutem, sed et supremum diem obiisse, qua in
urbe diu moratus fuit Crispus, ad quem fuerat ex
Asia accitus auctor noster.

INSIGNIUM VIRORUM TESTIMONIA

DE

L. CÆCILIO FIRMIANO LACTANTIO.

EUSEBIUS Cæsariensis, in Chronico, IV sæculo:
*Crispum Lactantius latinis litteris erudit, vir omnium
suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pau-
per, ut plerumque etiam necessariis indigerit, nedum
deliciis.*

S. HIERONYMUS, de Scriptoribus eccl., V sæculo:
Firminus, qui et Lactantius, Arnobii discipulus,

D sub Diocletiano principe accitus cum Flabo grammatico,
cujus de Medicinalibus versu compositi exstant libri, Ni-
comediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ab
Græcâ videlicet civitatem, ad scribendum se contulit.
Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus scrip-
sit Africæ, et Ὀδοποιὸν de Africa usque Nicomediam,
hexametris scriptum versibus, et alium librum qui in-

ANNOTATIONES.

Flabo. Sic restitui ex mss. 1 Reg., n. 3756, anno-
rum 900, et 1 Clarom. approbante clar. Baluzio, et
e mss. PP. Capucinorum. In impressis est *Flavio*; in
uno, *Fannio*.

Scripsit Africæ. Ita mss. 1 Reg Tornesianus, et 1
Clarom. nec male, ut apud Ciceronem, *Siciliæ cum*

essem. In versione Græca est ἐν τῇ Ἀφρικῇ. Supradic-
tam locutionem latinam ignorantes editores emen-
dare voluerunt, in pluribus editis tollendo *Africæ*;
in duobus præponendo in *scholis τῷ scripsit Africa*;
in duobus aliis mutando *adolescentulus in adolescen-
tibus*, ita ut legatur *adolescentibus scripsit Africæ*.

scribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum Divinarum adversus Gentes libros septem et Ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno ἀκεφάλω; et ad Asclepiadem libros duos; de Persecutione librum unum; ad Probum Epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum, auditorem suum, Epistolarum libros duos; ad eundem, de Opificio Dei, vel formatione hominis librum unum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, in Gallia fuit, qui postea a patre intersectus est.

Idem, Commentar. in Eccles. cap. x:
Firmianus quoque noster in præclaro Institutionum suarum opere... de virtutibus et vitiis plenissime disputavit.

Idem, in cap. iv Epistolæ Pauli ad Ephesios:
Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter et eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum satis abunde posse sufficere.

Idem, in epistola 13, ad Paulinum:
Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.

Idem, in epistola 83 (al. 84), ad Magnum:
Septem libros adversus Gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius; qui de Ira quaque et Opificio Dei duo volumina edidit: quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies.

EUCHEMIUS episcopus, in epist. ad Valerianum, v sæculo:
Et quando clarissimos facundia, Firmianum, Minutium, Cyprianum, Hilarium, Johannem, Ambrosium, ex illo volumine numerositatis evolveris.

HONORIUS, Augustodun. presbyter, de Luminaribus Ecclesiæ, sive de Scriptoribus eccles., xii sæculo:

Firmianus, qui et Lactantius, Arnobii discipulus, scripsit in scholis Africæ Itinerarium hexametris versibus, et alium librum, qui inscribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum divinarum adversus Gentes libros septem; ad Asclepiadem duos; ad Demetrium (lege Demetrianum), auditorem suum, Epistolarum libros septem; de Persecutione unum; ad Probum epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum de Opificio Dei, vel Formatione hominis, librum unum. Hic magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, fuit.

ABBAS TRITHEMIUS, de Scriptoribus ecclesiasticis, xv sæculo:

Firmianus Lactantius, Arnobii rhetoris quondam auditor, atque discipulus, vir in sæcularibus litteris abundanter doctus, divinis Scripturis nobiliter institutus ita, ut in arte dicendi post Ciceronem facile obtinuerit principatum, rhetoricen primum Nicomediæ, deinde Romæ (male, sed solum Nicomediæ) sub Diocletiano ab eo vocatus gloriose docuit. Et cætera, ut supra.

RAPHAEL VOLATERRANUS, Antropol., lib. xvi, ut sup., xv sæculo.

FRANCISCUS PETRARCHA, Epistolarum Senilium lib. 1, epistola 4, ad Joannem Boccacium, xiv sæculo:

De secundo autem, et de utroque quamvis, ut vides, maximi sint auctores, quid tamen vir doctus et eloquens Lactantius Firmianus hinc senserit, non alienum videtur inserere, etc.

Et ibidem paulo infra:
Quid vero si quid tale Lactantio dictum esset? Quid si dictum, et creditum Augustino? Dicam quod in animo est, neque ille tam valide peregrinarum superstitionum fundamenta convelleret, neque iste Civitatis Dei muros tanta arte construeret.

Idem, Invectivar. in medic. lib. primo, ad fin.:
Audi ergo quid Lactantius vir et poetarum; et philosophorum notitia, et Ciceroniana facundia, et quod cuncta transcendit, catholica religione clarissimus primo suarum Institutionum libro ait.

Et de Otio religiosorum lib. primo:
Atque in primis Lactantium Firmianum, qui omnem deorum scenam, turpesque latebras scelerum aperiens, totam rei seriem, qui fuerint, quid egerint, qui mores, quæ vita, qui exitus, quæ sepulera, operosissima disputatione complectitur.

Et libro secundo:
Lactantius Firmianus et ipse magnus vir in eo libro, quo, Gentilium erroribus exarmatis, fidem nostram, quantum quivit, armavit, omnemque hanc deorum scenam mira et laudabili curiositate detexit, inque hoc idem opus Augustino atque aliis sequacibus viam fecit, etc.

Et paulo infra:
Accessit sacer nominandus Ambrosius, accessere Hieronymus, Gregoriusque, novissimus oris aurei Joannes, et exundans lacteo torrente Lactantius. In hoc pulcherrimo comitatu Scripturarum sacrarum fines, quos ante dispezeram, venerabundus ingredior, etc.

Idem, Rerum Memorabilium lib. primo, in M. Varone:
Vir fide pius, eloquioque sacer Lactantius Firmianus, etc.

JOANNES FRANCISCUS PICUS, lib. de Stud. divinæ atque humanæ philosophiæ, cap. 7, xv sæculo:

Quis apud nos non videat esse Ciceronem, sed christianum, hoc est aliquem, qui eum ad lineam unguumque expresserit? Quis enim non advertit Lactantium Firmianum æquasse ipsum, et forte præcelluisse in eloquendo?

Idem, lib. iii Epistolar., epistola 10:
Lactantius Ciceronis stylum effigiavit, aut, ut quibusdam placet, supergressus est. Mihi videtur rebus et sententiis crebrior, nec numeris injucundior, nec filii æquabilitate et candore posterior: has quippe virtutes maximis viribus et æmulatus et assecutus est: hunc nec æquales, nec posterum momorderunt; nemo et umbem et fractum, Asianum, et redundantem nemo causatus est.

LEONARDUS ARETINUS, in epistola ad Constantiam Sfortiam, xv sæculo:
Maxime vero inter omnes, qui de christiana veritate scripserunt, longe eminent, et excellit nitore quodam ac copia Lactantius Firmianus, vir omnium christianorum procul dubio eloquentissimus, cujus libros lege, quæro, si litteras amas.

L. COELIUS RHODIGINUS, Antiquarum Lect. lib. vi, cap. 48, xv sæculo:

Lactantius inter christianæ veritatis assertores eloquentia maxime illustris.

Idem, libro ix, cap. 12:
At ego, o Lactanti, non te quidem dementem dixerim, cum et prudenter et docte scripseris non parum multa.

Et paulo post ibidem:
Hoc fuisse tibi propositum, vir doctissime, et de Christiana veritate optime merite, malim credere, etc.

JOANNES LUDOVICUS VIVES, Valentinus, ad finem libri tertii de Tradend. Discipl., xvi sæculo:

Christianorum omnium facundissimus est Lactantius: sonum habet plane Ciceronianum.

Et libro quarto:
Ad efficacem rationem argumentandi Aristoteles, ad civilem Ciceronis Dialogi et Lactantius primas partes feret.

ANNOTATIONES.

Ἐκεφάλω, ms. I Reg. habet ἀκεφάλων: in edd. est acephalo.

Ad Demetrianum. Sic habent mss. I Reg. ac Tornesianus, et editi. At in uno ms. Clarom. et apud Honorium Augustodunensem legitur ad Demetrium,

corrupte, ut videtur ex omnibus tum mss. tum editis Lactantii codicibus.

Extrema senectute. Edd. tres addunt præpositionem in, quam cæteri respuunt.

Et libro quinto.

Judicium porro, ut quod est in prudentia naturale, doceri non potest, elimari et excoli potest; primum lectione eorum auctorum, qui plurimum bono illo valuerunt Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi; ex nostris autem Origenis, Chrysostomi, Hieronymi, Lactantii, etc.

JOANNES BAPTISTA PIUS, Annotat. c. 98, XVI SÆCULO:

Lactantius Firmianus maximus religionis veræ propugnator.

GREGORIUS GIRALDUS VERONEN., Dialogo quinto de Hist. poetarum, XVI SÆCULO:

Eodem quo Juvenens tempore fuit et Lactantius Firmianus, unus eloquentiæ Ciceronianæ inter christianos præcipuus æmulator, qui præter ea, quæ multa soluta oratione scripsit, et quæ passim in manibus habentur, versus quoque composuit, etc.

FRANCISCUS FLORIDUS, Subsecivarum Lect. lib. II, cap. 4, XVI SÆCULO:

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, Latinorum omnium, qui theologica tractarunt, citra controversiam eloquentissimus, nostræque religionis assertor acerrimus, celeberrimi, dum viveret, nominis propter singularem excellentiam a christianæ pietatis cultoribus habitus est, editisque non paucis elegantissimis, magna que eruditione repletis lucubrationibus, quarum bona pars doctorum manibus teritur, pars vero commune cum cæteris Romanorum scriptis naufragium passa est, sic in omnium ore versatur, quasi qui unice cuncta philosophorum dogmata christianis ex diametro adversantia optinis rationibus pervertens, et gravissimis sententiis, et

A styli candore unice sit commendandus. Quamobrem fuerint licet, qui alias theologiæ partes facilius, quam ille, atque etiam argutius excolerint, in iis tamen, quæ ad confutanda Gentium (sic enim vocabantur quicumque ante Christi adventum legem a Moyse traditam non amplecterentur) placita spectant, nemo ad hanc diem extitit (quantum quidem ipse judicare valeo) qui cum Lactantio longo intervallo sit conferendus; vel quia rerum verborumque pondere, ac efficaci quadam naturæ vi susceptum contra munitissimas ethnicorum sententias munus egregie obit, vel quia paucis verbis plurima complectitur, semper (quod de Thucydide perhibet M. Tullius) sibi instans, nullasque sordes, ut alii complures faciunt, secum trahens. Quod nisi tam eximius auctor plurima scripsisset, in quibus vix credas virum tam curiose in sacris profanisque litteris versatum labi potuisse, eum unum ex omnibus latinis Scriptoribus maxime deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, ut eodem tempore illi ex unius lectione, et christianæ fidei rudimenta, et Romani sermonis puritatem discerent, etc.

B GULIELMUS CANTERUS, Novar. Lect. lib. III, cap. 50, XVI SÆCULO:

Quem inter Græcos theologos locum Nazianzenus Gregorius obtinet, eum inter Latinos fere Firmianum Lactantium tenere non immerito quis iudicet.

Non ex re putavimus ultra progredi: sat est monuisse, neminem inter nostrorum temporum scriptores esse, qui Lactantii nostri cum laude non meminerit. Quamvis eum non inculpatum omnino habeant eruditi, ejus tamen multiplicem doctrinam, variam in re profana eruditionem, summam tandem ejus eloquentiam prædicant omnes.

SYNTHESIS

DOCTRINÆ LACTANTII.



Quoniam plus operæ in falsis refutandis quam in veris confirmandis posuit Lactantius, ideo pauca fidei nostræ capita plene ab eo sunt exposita: pleraque tantum attigit; plurima non intellexit. Ex iis quæ plenius aliquando ab eo sunt declarata, est doctrina: de religione christiana, de Deo in genere, de Providentia, de vero Dei Cultu interiore.

Religionis christianæ partes, adjuncta et effecta præclare persecutus est. Partes duas esse statuit religionis: agnitionem Dei et cultum (*Lib. III, cap. 29; lib. IV, cap. 4, etc.*). Adjuncta religionis Scriptura sacra comprehensæ hæc explicat: veritatem, perspicuitatem, antiquitatem, simplicitatem. Veram esse religionem christianam ex eo probat, quod prophetarum vaticinia fuerint impleta, quod prophetæ fallere non potuerint (*Lib. I, cap. 4*). Quod apostoli non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se et scierint, et prædixerint (*Lib. V, cap. 3*). Quod Christiani non errent in vitæ suæ actibus omnibus, unde probabile sit eos nec in ipsa summa, hoc est, in religione, errare (*Lib. V, cap. 9*). Quod Christianorum numerus in ipsa persecutione augeatur: quod iidem dilacerentur variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam teneant patientiam, unde et vulgus colligat, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo tantos cruciatus posse perferre (*Lib. V, cap. 13 et 22*).

Perspicuitatem religionis scriptæ assertit (*Lib. VI,*

C c. 21). Num igitur, inquit, Deus et mentis et vocis et linguæ artifex diserte loqui non potest? Immo vero summa providentia carere fæcio voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent quæ ipse omnibus loquebatur.

Antiquitatem Scripturæ sive religionis nostræ elicit ex prophetarum ætatibus (*Lib. IV, c. 5*), ubi antiquiores, inquit, etiam Græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Errorem igitur suum sentiant, qui sacram Scripturam coarguere nituntur tamquam novam et recens fictam, ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manaverit.

Simplicitate Scripturæ docet multos offendi (*Lib. V, cap. 1*), sed injuria. Nec enim decebat aliter, quam nude et breviter eam tradi, ut cum Deus ad hominem loqueretur, non argumentis assereret suas voces, tanquam fides ei non haberetur; sed loqueretur quasi rerum omnium maximus iudex: ejus est non argumentari, sed pronuntiare verum (*Lib. III, cap. 1*).

Effecta religionis christianæ, quæ quantaque sint, pulchre explicat (*Lib. III, cap. 25*). Da mihi, inquit, virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenius manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: jam cruce, et igne, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appeten-